

rerum supernaturalium per se immediate, et tamen species infusas non semper præbebat, quia ut determinat S. Thomas 2-2, quæst. CLXXIII, art. II, non semper prophetis dabantur species divinitus impressæ, sed sufficit esse divinitus ordinatas; sic et in statu innocentie, justificationem et cognitionem supernaturalium ex immediato Dei influxu et unctione oportebat accipi, licet species præsupponeret per imaginationem acceptas et per sensum. Et ita instructionem in supernaturalibus oportebat a Deo fieri, cui immediates subordinabatur mens, licet fieret per species rerum sensibilium.

XXVIII. Tertio notandum est, quod rectitudo illius status, quæ consistebat in ordinatione superiorum et inferiorum potentiarum, præcipue relucere debebat in eo, quod superior ita subjectum sibi haberet inferius, ut per se ipsum sufficienter moveret illud ac dirigeret; ita quod sine mediis instrumentis ac remediis, ad nutum superioris dirigetur, movereturque inferius; alias enim status innocentie perfectus non esset si perfecte in illo non inveniretur ordinatio et subjectio. Non inveniretur autem ista perfecte, si id quod superius est, se solo non convenienter et sufficienter moveret inferius in his, in quibus per se ei debet subjici, et ab eo perfici. Unde si influxum et motum, quo sibi superius debet subjicere id, quod inferius est, exercere et apponere debet mediantibus extrinsecis mediis aut remediis, attestatur non esse plenam, nec perfectam subjectio- nem. Sicut autem corpus tunc in illo statu subjiciebatur animæ, et potentie inferiores potentiis superioribus, sic et mens subjiciebatur Deo, non solum in ratione entis et naturæ (sic enim semper ei subjicitur in omni motu, et in omni actio-

ne) sed etiam in ratione supernaturali et morali, et in rectitudine virtutis.

XXIX. In hoc ergo genere, sicut potentia superior per donum justitiæ originalis continebat inferiorem, ne insurgeret contra se; sic et Deus in motu supernaturali et morali sibi ad nutum et immediate mentem subjiciebat. Non ergo necessaria poterant esse instrumenta extrinseca et sensibilia, ut per eorum susceptionem, protestationem, aut effectio- nem perficeretur homo in his, in quibus ad supernaturalium perfectionem a Deo movente et perficiente dirigebatur, et in perfectione sibi debita, ex vi subjectionis mentis ad Deum in spiritualibus; sicut post peccatum in his, quibus homo debet subdi Deo, perficitur per sacramenta.

XXX. Ex his elicitur et explicatur ratio S. Thomæ, quæ sic formari potest: Status innocentie talis erat, ut in eo superiora inferioribus dominarentur, et nullo modo dependerent in hac dominatione exercenda ab inferioribus, et in hoc ordine constituendo, et perficiendo: igitur esset contra hunc statum et ejus ordinem, si perficeretur anima vel quantum ad gratiam, vel quantum ad scientiam debitam huic ordini et directioni ejus, ab alio quam a superiore, cui subjiciebatur, et per aliquid corporale perficeretur in his, quæ ad hujusmodi subjectionem pertinent, sive quantum ad gratiam, sive quantum ad scientiam. Sacramenta autem sunt quid corporale, ordinata vel ad remedium peccati, vel ad perfectionem animæ, si quidem ad sanctificationem cultorum Dei ordinantur, et ad ea quæ ad sanctificationem requiruntur quantum ad scientiam.

XXXI. Igitur si status ille rectificabatur ex ordinatione superiorum et inferiorum, et ex perfecta domi-

natione superiorum in inferiora, nulla erat necessitas quod hæc perfectio acciperetur per corporalia media; imo contra talem ordinem id esset. Sacramenta autem solum ordinantur ad talem perfectionem, quæ in subjectione mentis ad Deum reperitur, quia in hoc consistit sanctificatio nostra, et per hoc habetur gratia Dei, et hanc etiam comitatur scientia, quam sacramenta sub sensibilibus signis de nostra justificatione præbent: frustra ergo tunc sacramenta essent ad perficiendum animam, ubi ipsa ex subjectione ad Deum perfectionem hanc habebat.

XXXII. Intelligit autem S. Thomas per scientiam hic, eam quæ ex influxu et instructione Dei habetur, sive sit habitualis, sicut modo datur per sacramenta infundentia fidem; sive quantum ad actua- lem, qualis illi statui congruebat etiam in pueris, ex vi justitiæ originalis, sicut prima parte, quæst. CI, art. I, prudentiam in pueris fuisse, ut dirigerentur in operibus justitiæ, agnoscit S. Thomas.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXXIII. Sed contra hoc objicies primo: Homini, etiam in illo statu, congruum et proprium est spiritualia accipere per sensibilia: ergo et congruum est quod per sacramenta sensibilia ferretur ad spiritualia. Patet consequentia, quia si spiritualia per sensibilia debebant accipi, etiam per signa sensibilia conveniens erat in ea tendere, et consequenter per sacramenta. Antecedens vero probatur, quia hominis natura est ut per sensus acquirat anima omnem cognitionem modo connaturali: ergo et cognitionem spiritualium per sensus acquirere debet, et consequenter per sensibilia.

XXXIV. Confirmatur: De facto in illo statu cognitio acquirenda erat per sensibilia, et conversionem ad phantasmata, nec enim pueri nascerentur cum scientia, nec eis infunderetur, sed per acquisitionem haberent, ut docet S. Thomas I p. quæstione CI, articulo primo: ergo etiam cognitio rerum supernaturalium per sensibilia accipienda erat. Consequentia patet primo, quia cognitio supernaturalium in homine proportionari debet cognitioni naturali, quantum ad modum acquirendi et habendi eam: secundo, quia non debebant fieri singulis hominibus revelationes interiores, sed per traditionem aliorum hominum res fidei addiscerent: ergo per signa sensibilia debebant hæc accipere: ergo eadem ratione per sacramenta posset eis tradi hujusmodi cognitio.

XXXV. Item futuræ essent tunc voces externæ, scripturæ, imagines, signa ad memoriam juvandam, etc. ergo in multis perfici debebat mens per sensibilia, atque adeo per signa rerum sacrarum debebat etiam perfici.

XXXVI. Respondetur distinguendo antecedens; proprium est accipere spiritualia per sensibilia, quantum ad id in quo subordinabantur inferiora superioribus, et accipiebant et movebantur ab eis, nego antecedens; quantum ad id in quo non fiebat ista subordinatio, nec per se dominabantur superiora inferioribus, transeat. Vel absolute negandum est antecedens argumenti, nam licet hominis natura sit ut per sensibilia transeat ad spiritualia, et ex sensibilibus acquirat cognitionem, ut ex objectis, non tamen ut ex mediis acquirendi, quia hoc solum contingit quando alias mens non habet perfectionem suam ex subjectione ad Deum. Ad probationem dicitur, quod hominis natura est ut

acquirat per sensus cognitionem suam, quantum id in quod non per se pendet subordinatio inferiorum et superiorum, non autem quantum ad id in quod per se pendet. Item, pro illo statu naturale est homini acquirere cognitionem a sensibus, quantum ad id in quod se extendit lumen naturale, concedo; quantum ad id quod exigit lumen supernaturale, nego.

XXXVII. Explicatur hoc: In statu innocentiae mens subiciebatur Deo, et vires inferiores menti, etc. omne ergo quod per se requirebatur ad talem subjectionem, et actualem et habitualement, non a sensibilibus accipiebatur, sed ex vi talis subordinationis et rectitudinis, sive quantum ad naturalia, sive quoad supernaturalia: unde ut dicit S. Thomas loco citato prima parte, licet pueri in statu innocentiae acquirerent notitiam per sensus, tamen nunquam haberent ignorantiam, id est, privationem scientiae debitae illi statui et aetati, sed habuissent sufficientem scientiam ad dirigendum eos in operibus justitiae, quamvis species obceptorum non essent infusae a Deo, sed per sensus acquisitae; sic tamen ut eae statim ordinarentur, quantum sufficiebat ad habendam scientiam de his, in quibus dirigi debebant: et similiter est in supernaturalibus.

XXXVIII. Unde quantum ad hoc, quod est instrui in scientia necessaria ad directionem suam, ita ut careant ignorantia, non dependebat anima a sensu, sed a rectitudine status, et subordinatione inferiorum ad superiora, licet supponeret species haustas ab objectis naturali virtute; hoc enim non est pendere a sensibilibus formaliter loquendo, et ut a perficientibus, ut post dicitur. Itaque licet acciperent cognitionem a sensibilibus ut ab objectis, non tamen ut a manucente aut

instruente, sed id fiebat ex dominatione superiorum in inferiora, quantum ad id quod talis dominatio et subordinatio praecise requirebat; nec enim aliud etiam praestant sacramenta, nisi quod ad sanctificationem et justificationem habendam necessarium est scire; alia enim per discursum colliguntur et speculationem.

XXXIX. Ad confirmationem respondetur veram esse doctrinam D. Thomae, eamque salvari, tum in acceptione specierum ab objectis, tum in instructione et manuentione, seu disciplina, in his, in quibus non per se pendet subordinatio inferiorum a superioribus; in his autem in quibus erat debita cognitio et perfectio pro directione inferiorum a superioribus, cum nulla tunc esset ignorantia, non pendebat a sensibilibus ut ab instrumentibus et manucentibus cognitio illa.

XL. Ad primam probationem consequentiae respondetur proportionari cognitionem supernaturalem cognitioni naturali, quantum ad aliquid, non quantum ad omnia, scilicet, quoad dependentiam ab objectis, indigentiam conversionis ad phantasmata, etc. non tamen quantum ad hoc quod instruens et manucentis in utroque sit res sensibilis; sed Deus ipse deberet perficere mentem ex subjectione omnimoda quam haberet ad Deum, quantum ad ea quae talis subiectio et perfectio requirit.

XLI. Ad secundam probationem dicitur, quod sicut S. Thomas citatus dicit, quod pueri non haberent ignorantiam, sed sufficientem scientiam ut dirigerentur in operibus justitiae, sic et haberent ex influxu divino, et omnimoda subjectione mentis ad Deum eam cognitionem fidei, quae ad supernaturaliter dirigendum eos necessaria erat, alia tamen mysteria fidei, aut peculia-

rem intelligentiam eorum, non esset inconueniens per traditionem et signa sensibilia habere; sicut Adam signis aliquibus usus est ad res sacras et mysteria revelata exprimenda: unde et essent voces et scripturae, etc. quae ad communicationem externam necessaria sunt; non tamen sacramenta, quae ad eiusque interiore perfectionem et sanctificationem ordinantur. In his enim quae concernebant subjectionem hominis ad Deum non debebat homo perfici, nec instrui per sensibilia, sed a Deo.

XLII. Secundo objicies: Nam ratio D. Thomae aut nimis probat, aut non valet. Etenim perfici superiorem mentem a sensibilibus non erat inconueniens illi statui, cum ab objectis haurire deberent homines notitiam et cognitionem: ergo si non erat inconueniens perfici a sensibilibus, in his quae naturaliter homo cognoscit, quomodo erit inconueniens in his, quae supernaturaliter cognoscit, cum haec imperfectius attingantur.

XLIII. Confirmatur, quia rationes ob quas homines sacramentis utuntur, etiam currunt in statu innocentiae, ut quod oporteat homines signis externis et caeremoniis coadunari in unum nomen religionis, et quod homini connaturale est per sensibilia tendere ad spiritualia, et quia homo constat corpore et anima, et simpliciter est corporeus et sensibilis: ergo uti debet sacramentis sensibilibus: quae rationes aequae currunt in statu innocentiae, ut de se patet.

XLIV. Confirmatur secundo, nam multae sunt utilitates in sacramentis, propter quas erat congruum ut in illo statu instituerentur, ut ad protestationem externam religionis et fidei, ad reddendas Deo gratias, ad representationem externam mysteriorum fidei, ad augendam gra-

tiam per eorum susceptionem, sicut et per exercitia externa virtutum: ergo non est cur non dicatur fuisse congruum ut tunc instituerentur.

XLV. Respondetur ad principale argumentum, optimam esse rationem S. Thomae, nam licet perfecteretur in illo statu mens ab objectis externis, accipiendo ab eis species, tamen hoc fiebat media luce et virtute intellectus agentis, non ex eo quod ab objectis ipsis manducetur intellectus; at vero si instrueretur in supernaturalibus, et manucenteretur per sensibilia, non hoc fieret ex virtute ipsius intellectus agentis, nec ex perfecta subjectione ad Deum, sed ex dependentia et subjectione ad inferiora. Hoc enim quod est ab objectis haurire scientiam, imperfectio non est, aut subiectio ad sensibilia, sed perfectio humani intellectus et luminis. Nam perfectio intellectus agentis est, quod et illuminet materiam sibi propositam in phantasmatis, et inde imprimat species in intellectu possibili, illumque illustret; sicut lux exterior, quae colores illustrat, et potentiae visivae species imprimit. Intellectus autem non perficitur ab objectis secundum se, sed ut virtuti et lumini intellectus agentis subsunt. Et ita non imperficitur ex hoc quod a sensibilibus quasi materialiter et objective pendeat.

XLVI. At vero si essent tunc sacramenta, ut per illa instrueretur homo, et perficeretur in supernaturalibus, acciperet per sensibilia instructionem et perfectionem, quam ex subjectione mentis ad Deum, et dominio Dei in mentem habere debebat. Unde sicut esset contra naturam hominis, quod per objecta ipsa reciperet lumen et virtutem intellectus agentis, sic est contra illum statum quod perfectionem, quam ex subjectione mentis ad Deum ha-

bebat (hoc est, sanctificationem suam) ex signis externis eliceret, et simul scientiam, quæ ad hanc justificationem exercendam requiritur.

XLVII. Non ergo est inconueniens, quod ab objectis perficiatur mens, quasi objective (effective enim a virtute intellectus agentis perficitur) inconueniens tamen est, quod perfectionem quam effective habebat ex dominatione Dei in mentem, et instructionem quam per hanc subjectionem accipere debebat, ex externis signis et sensibilibus instrumentis acciperet, quia hoc attestatur non perfecte subijci mentem Deo; ex objecto tamen perfici objective, sed non effective, non attestatur imperfectionem virtutis, sed naturæ.

XLVIII. Ad primam confirmationem respondetur illas rationes non currere in eo statu, in quo sanctificationem suam homo ex subjectione mentis ad Deum accipiebat, et non ab externis signis; et ideo connaturale ipsi non erat ad spiritualia tendere per sensibilia, quantum ad sanctificationem suam, sed ex subjectione mentis ad Deum. Et cum sacramenta essentialiter ordinentur ad sanctificationem nostram, deficiente hac ordinatione et fine, cessat ratio ponendi sacramenta. Et ita coadunari possent homines in unam religionem per signa externa, non quæ ordinarentur ad sanctificandum homines, sed quæ ex sanctificatione eorum descenderent. Non enim quodlibet signum rei sacræ sacramentum est, nisi sit sanctificans nos. Similiter licet homo tunc constaret corpore et anima, non tamen eodem statu quo nunc, sed anima perfecte subdita Deo, et ex hac subjectione participante supernaturalem perfectionem, non ex sensibilibus.

XLIX. Ad secundam confirmatio-

nem dicitur, omnes illas utilitates non esse sufficientes ad sacramenta instituenda, si desit primarius et principalis finis sacramentorum, quod est sanctificari nos per illa; sicut non veniret Christus in carne passibile, si deficeret finis redimendi a peccatis, licet aliæ congruentiæ essent. Ad augendam autem gratiam tunc non servirent sacramenta; tum, quia idem modus quem postulabat status ille ad acquirendam gratiam, etiam ad augendam, cum per easdem causas augeatur, et acquiratur rei; et ita si homo ex subjectione mentis ad Deum sanctificabatur eodem modo et in gratia crescebat; tum etiam, quia vel sacramenta auferent gratiam ex opere operato, seu ordine ad illud, vel ex opere operantis præcise.

L. Non primum, quia vel in illo statu non veniret Christus, vel si veniret, non mediante redemptione sua (quod est opus operatum, seu ex meritis ejus) homines acciperent gratiam, sed ab ipso ut consummatore, sicut modo Angeli; ideoque non indigerent protestatione operis operati ad augendam gratiam; alias cum non minus augmentum gratiæ penderet ab isto opere operato, aut meritis Christi, quam acquisitio gratiæ, oporteret etiam ad acquirendam gratiam opus illud operatum protestari, et sic non nascerentur naturaliter sancti.

LI. Non secundum, quia tunc non magis servirent illa signa ad merendum, quam quælibet opera externa virtutum, et sic essent superflua, nec ut sacramenta essent necessaria. Vetera autem sacramenta, etsi solum per opus operantis conferebant gratiam, tamen erant imperfecta, et umbræ futurorum. In statu autem innocentiae imperfecta et vacua sacramenta non congruebant, sed perfecta.

LII. Tertio objicies: In illo statu

possent homines peccare, sicut de facto peccavit Adam: ergo pro illis reparandis debebat sacramenta esse; et sic si in illo statu non erant impossibilia vulnera, neque essent incongruæ medicinæ.

LIII. Respondetur primo, S. Thomam non loqui de statu innocentiae respectu illorum qui peccabant et excidebant ab eo, sed respectu ipsius status innocentiae; qui enim cadebant per peccatum a statu illo, non iterum recuperare poterant statum innocentiae, licet recuperarent gratiam. Et ideo consulto S. Thomas non quæsit in articulo, an in statu innocentiae essent necessaria sacramenta, sed utrum ante peccatum homo indiguisset sacramentis. Non ergo loquitur de hominibus post peccatum, sive durante statu innocentiae, sive non; sed loquitur de statu ante peccatum, id est, de statu innocentiae formalissime accepto.

LIV. Secundo respondetur, quod illi qui in illo statu exciderent a gratia, incertum est quomodo revocarentur ad illam. Fortassis enim non daretur illis locus pœnitentiæ, sicut nec Angelis. Primo autem homini datus est locus pœnitentiæ, quia datus est redemptor; quod si ad pœnitentiam aditus pateret, non debemus dicere quod sufficeret attritio cum sacramento; esset enim nimia indulgentia; si autem requireretur contritio, ipsa sine sacramento sufficeret, atque adeo sacramentum pœnitentiæ non erat necessarium.

LV. Sed data hypothese, quod Filius Dei in eo statu venisset, et sacramenta institueret pro illis qui peccarent, an alii justii uterentur hujusmodi sacramentis, respondetur non usuros illis, quia pro eorum statu non essent instituta; uterentur tamen eis, quæ peccatum non præsupponunt, ut eucharistia, or-

dine, confirmatione, etc. quia etsi non essent necessaria pro illo statu, si tamen de facto a Deo instituerentur, illis uti possent pro augenda gratia.

LVI. Quarto objicies: Essentia sacramenti salvatur in eo, quod sit signum practicum gratiæ, etiamsi eam non efficiat, nec sit remedium peccati: ergo non repugnabant sacramenta cum illo statu. Patet consequentia quia non repugnabat hominem uti tunc signis practicis, ut contractibus, sicut de facto usus est matrimonio ut contractu: ergo neque signis practicis gratiæ, etiamsi non efficerent gratiam.

LVII. Respondetur, quod sacramenta eo ipso quod sunt signa practica gratiæ, taliter ordinantur, ut per eorum protestationem et susceptionem gratia et sanctificatio acquiratur; alias si eorum susceptio et protestatio ad id non servirent, frustra et superflue ponerentur: sicut si per investituram et traditionem annuli non institueretur episcopus, frustra diceretur signum practicum illius, quamvis ad hoc necessarium non esset effective episcopatum imprimere. Licet ergo tunc homines uterentur signis practicis et contractibus, non tamen deberent uti signo externo ad res spirituales, si quidem ex subjectione ad Deum illas habebant, licet possent uti signis externis ad res politicas. Negatur ergo consequentia argumenti, et disparitas inter signa practica, quæ essent contractus, et quæ essent sacramenta, ex dictis colligitur.

LVIII. Quinto objicies: In statu innocentiae essent futura sacrificia, ergo et sacramenta. Consequentia patet, quia si non est inconueniens, quod signis externis colatur Deus, neque est inconueniens quod signis externis cultores ejus sanctificentur. Antecedens autem probatur, quia de

lege naturæ in quocumque statu sumptæ, est quod Deus colatur non solum ut auctor animæ, sed etiam ut auctor corporis, et quod homo subjiciatur illi, non solum spiritualiter et interius, sed etiam corporaliter et exterius: ergo mediantibus aliquibus signis exterioribus; sacrificium autem actio et signum est exterius protestativum divinæ excellentiæ: ergo.

LIX. Confirmatur: Propterea homo in illo uteretur sacrificiis, quia constat corpore et anima, et in utroque Deum debet colere: ergo eadem ratione deberet uti sacramentis, quia cum constet corpore et anima, oportet quod sanctificationem suam non solum spiritualiter, sed corporaliter applicatam haberet, id est, mediante signo corporali.

LX. Respondetur concessio antecedente negando consequentiam. Et ratio differentiæ est, quia cultus Dei externus est aliquid debitum Deo, ex subjectione quam habet homo Deo non solum spiritualiter, sed etiam corporaliter; sanctificationem autem ipsius hominis fieri per signa corporalia, non est debitum naturæ humanæ, quando talem statum habet, ut perfectissime Deo subjiciatur, quia ex vi subjectionis hujus sanctitatem hanc habere debet. Itaque non est inconveniens, in statu innocentiae signa externa esse, quibus homines in rebus sacris communicarent (hoc enim potius perfectionem dicit, cum hæc signa ex sanctificatione interna dimanarent) sed inconveniens est subjici hominem in eo statu his signis, ita ut ab eis suam sanctificationem et perfectionem emendicaverit. Uti autem signis non subjiciendo se illis, sed potius illis perfectionem dando, inconveniens non est.

LXI. Ex quo solvitur confirmatio, quia enim homo constat corpore et anima, in utroque debet Deo

cultum reddere, secundum protestationem interiorem et exteriorem: quia tamen constat corpore et anima perfecte Deo subjecta, non debet sanctificationem suam ex signis externis, sed ex ipso Deo accipere. Et quidem cum sanctificatio sit quid solum spirituale, non est per se loquendo necessarium eam applicari corporaliter, cultus autem Dei et spiritualiter et corporaliter debet exhiberi, quia in utroque subjicitur homo Deo. Cæterum in patria neque sacrificia erunt quia ubi est veritas clara, omnis signorum umbra fugit; et ita non oportet in signis exterioribus ibi Deum colere, quem clare omnes vident; sed illis solum signis, quibus est clare Deum colere et laudare, coletur Deus ut vocali laude, non sacrificiorum umbris.

LXII. Sexto objicies: Ad proficiendum in cognitione Dei non erat inconveniens in illo statu uti hominem creatura et effectibus Dei, ut in ejus cognitionem per discursum veniret: ergo neque similiter erat inconveniens signis a Deo institutis uti, ut clarius et distinctius de Deo cognosceret. Sicut enim ex corporeis creaturis surgebat ad Deum, ita et ex sensibilibus signis.

LXIII. Confirmatur primo, quia mysteria fidei non tradebantur in eo statu sub omnimoda claritate, sed sub ænigmate et metaphoris, sicut Adam sub matrimonio intellexit Christi ad Ecclesiam conjunctionem: ergo sub signis sensibilibus velari debebant hæc mysteria; nec enim aliter poterant velata tradi, quam sub rebus corporeis, cum homo corporeus sit.

LXIV. Confirmatur secundo, nam non est inconveniens Angelum aliquid accipere ab homine, juxta illud Ephes. III: *Ut innotescat Principatibus et Potestatibus per Ecclesiam in cœlestibus, etc.* ergo neque inconve-

niens erat, quod in statu innocentiae homo acciperet ab homine ea quæ ad perfectionem suam pertinent: hoc autem per signa sensibilia fieri debebat: ergo non erat inconveniens uti signis sensibilibus, et consequenter sacramentis.

LXV. Respondetur negando consequentiam, nam etiam Angeli ante suam beatitudinem Deum solum ex effectibus intelligebant, et sic intelligunt modo Deum extra Verbum, non tamen decuit propterea uti signis a Deo institutis. Ratio autem disparitatis in homine pro eo statu ea est, quia ex effectu colligere causam, et ad ejus cognitionem assurgere est propria hominis perfectio, et connaturale illi, et consequenter si solum a Deo instituerentur signa, ut ex eis Dei cognitionem acciperet, non esset magis inconveniens, quam ex creaturis, quæ naturalia Dei signa sunt, eam accipere. Cæterum uti signis practicis et sacramentalibus, non solum ordinatur ad accipiendam Dei cognitionem, sed etiam ad sanctificationem ipsam percipiendam, et eam scientiam, quæ talem sanctificationem comitatur. Hoc autem tunc indecens erat, cum eam sanctificationem ex omnimoda subjectione ad Deum participare deberet. Itaque non est inconveniens tunc fuisse signa speculativa respectu rerum spiritualium, sicut et aliqua de facto fuerunt; est tamen inconveniens fuisse practica, quia in his supponeretur non perfecte esse subjectam mentem Deo.

LXVI. Ad primam confirmationem respondetur ex dictis, mysteria fidei velata tradi, et ideo non fuisse inconveniens aliquibus signis speculativis, et ad cognitionem præcise ordinatis uti; non tamen debuisse uti signis practicis ad sanctificationem acquirendam: in illis enim nulla erat imperfectio, sicut in istis.

LXVII. Ad secundam confirmationem respondetur. Angelos non accepisse ab hominibus scientiam rerum supernaturalium, sed a Deo; licet quoad aliquem modum (scilicet, quoad complementum et executionem earum in re) innotuerit ipsis posita prædicatione Apostolorum, quia et in his quæ naturaliter cognoscunt Angeli, dependent a productione rerum, ut eas in actu cognoscant.

LXVIII. Secundo dicitur, quod sicut Angeli non potuerunt dependere ab homine, aut ab aliquo signo sensibili ut a signo practico sanctificationis suæ, ita nec decuit in statu innocentiae a signis practicis hominem induci ad perfectionem supernaturalem; cum hoc esset subjici eis in iis in quibus soli Deo mens subiciebatur; licet non esset inconveniens uti signo aliquo speculativo ad cognitionem accipiendam ordinato.

LXIX. Argumenta alia apud Cabreram de igne inferni qui fuit ante peccatum; herbis medicinalibus, quæ fuerunt ante morbos, facilis est solutio, quod hæc omnia sunt res naturales, quæ proinde debebant cum ipso universo ut partes naturales ejus creari.

ARTICULUS III.

Utrum post peccatum ante Christum de huerint esse sacramenta?

CONCLUSIO EST AFFIRMATIVA.

I. In solutionibus autem argumentorum ex doctrina S. Thomæ aliæ tres elici possunt conclusiones.

II. Prima in solutione ad primum: Christus Dominus respectu sacramentorum veterum solum fuit causa finalis.